

De placenta disrupta : dissertatio inauguralis medico-obstetricia quam ex auctoritate et consensu gratiosi medicorum ordinis, in alma Universitate Regia Fridericia Wilhelmo-Rhenana, pro gradu doctoris medicinae et chirurgiae, die [2ndo Augti.] anni MDCCCXXXVII / rite capessendo conscripsit Nathaniel Rumsey.

Contributors

Rumsey, Nathaniel, 1780-1847.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Londini : Ex officina Tylerana, [1837]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c6c6jdtt>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

glued as displaying of a Phrenological
up the disposal of the dismembered
centa when left, permanently in the
by the author

PLACENTA DISRUPTA:

DISSERTATIO

(20)

INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI MEDI-
CORUM ORDINIS, IN ALMA UNIVERSITATE
REGIA FRIDERICIA WILHELMIO-
RHENANA,

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ,

DIE 2^{ndo} Aug^{ti} ANNI MDCCCXXXVII.

RITE CAPESSENDO CONSCRIPSIT,

NATHANIEL RUMSEY,

ANGLUS,

MEDICUS ET CHIRURGUS APUD BEACONSFIELDENSIUM

LONDINI:

EX OFFICINA TYLERANA.



PLACENTA DISSECTA

DISECTIO

PLACENTAE MEDICINA OBSTETRICIA

ASTLEY COOPER

PROFESSOR ET CANTUARUM CAESARIUM MEN
COMITUM BRITANNIAE IN ACADEMIA
REGIA SOCIETATE MEDICORUM LONDINENSIS
PRaesidis

LONDINI

THEATRO REGIO MEDICINAE ET CHIRURGIAE

MDCCCXXXII

AND SOLD BY

NATHANIEL BARNETT

PRINTED

BY JAMES JOHNSON, ST. PAULS CHURCH-YARD

MDCCCXXXII

BY DANIEL WILKINSON

VIRO CELEBERRIMO GENEROSISSIMO

AMPLISSIMO

ASTLEY COOPER,

EQUITI BARONETTO, CHIRURGO REGIO, ARTIS CHIRURGICÆ,

PROFESSORI, SOCIETATIS REGALIS SOCIO,

ETC. ETC. ETC.

PRÆCEPTORI

MENTE DEVOTA PER TOTAM VITAM VENERANDO:

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT

530 SOUTH EAST ASIAN DRIVE, CHICAGO, ILL. 60607

TEL: 773-936-3700 FAX: 773-936-3701

WWW.PHYSICS.UCHICAGO.EDU

PHYSICS DEPARTMENT, 530 SOUTH EAST ASIAN DRIVE, CHICAGO, ILL. 60607

TEL: 773-936-3700 FAX: 773-936-3701

WWW.PHYSICS.UCHICAGO.EDU

VIRO CELEBERRIMO, GRAVISSIMO

AMPLISSIMO

JACOBO RUMSEY,

MEDICINÆ DOCTORI

APUD AGMUNDESHAMENSES MEDICO PRACTICO CLARISSIMO

FRATRI

ET CONSANGUINITATIS VINCULO CONJUNCTISSIMO

ET OPTIME DE SE MERITO

SUMMOPERE COLENDO:

HANC
DISSERTATIONEM INAUGURALEM
DAT, DICAT, DEDICAT
GRATIQUE ANIMI TESTEM ESSE VULT

N. R.

PROOEMIUM.

APUD medicos ferè est recognitum, placentam aut placentæ partem multò post ejusdem debitam expulsionem in utero remanere posse. Retentionem frusti solent quidam, perspicuitatis causa, casum disruptæ placentæ nominare. Isthæc retentio vel disruptio è diversis causis accidere potest: ex imperitia scilicet, e statu insolito uteri sub tempus aut gestationis aut parturitionis, e contractione uterina spasmodica, fortasse aliis. Utraque accidente, sequitur symptomatum morbosorum copiosa varietas; nec dubitatur, quin puerperæ magnum periculum impendat. Contingit aliquando, ut placenta aut relicta pars evadat, revalescente fœmina, pluribus diebus aut etiam hebdomadibus post partum elapsis. Ab omnibus vero conceditur, ut remanente placenta, hæmorrhagia, decompositio, febris, mors omnes occurrere possint. Quocirca, omni medico practico maximæ est curæ, si tute liceat, placentam detrahere. Alioqui, ut hæmorrhagiam suppressat, irritationem seu inflammationem præveniat

aut subigat, et ægram languescentem sustineat summo opere conatur; semper observans quæ signa occurrant, massam placentalem quacunque forma evadere. Existimat enim, quamdiu in cavitate uterina remanet placenta, convalescentiam feminæ pene exspem fore.

Sed, omni vigilantia servata, non infrequenter accidit, ut medici etiam expertissimi medelam viderent, quum expulsionem massæ placentalis quoquomodo detegere nequevissent. Exempla, tanquam quoad descripta comparative rara sint, tamen numerosiora sunt quam quod hic testimonia producere necesse foret. Hinc orta est questio: QUID DE FRAGMENTO REMANENTE FIAT, IN ILLIS PLACENTÆ DISRUPTÆ EXEMPLIS, QUIBUS ÆGROTÆ CONVALESCUNT?

Per annos triginta quinque, inter quos medicis curis versatus sum, in praxi propria tantum quinque placentæ disruptæ exempla visa fuère. Hæc omnia cursu duorum annorum, novemque mensium acciderunt. Tria non sunt speciali observatione digna; reliquorum, unum certe, fortasse utrumque propter pertinentiam ad illam de fato placentæ questionem vexatam spectabile est. Quæliacunque sint, liceat consensu eruditorum et expertorum in arte medica, ex meis ephemeribus

medicis deprompta omnia preferre, aut ad confirmandam doctrinam adhuc receptam, aut, si quid eo valeant, etiam ad aliquid novi de placenta disrupta impertiendum. His exemplis descriptis atque illustratis, solummodo restabit, ut nonnulla de opinionibus quibusdam ad quæstionem supra memoratam referentibus addam.

PARS PRIOR.

EXEMPLA QUÆDAM PLACENTÆ DISRUPTÆ EXHIBENS.
CUM ADJECTIS OBSERVATIONIBUS.

EXEMPLUM I.

A. D. 1830. *Die 7mo Decembris.* “ Dominus
“ Marson adjunctus meus, studiosus medicinæ ob
“ mores, peritiam, diligentiam valde spectabilis, ar-
“ cessitus est, me absente, ad ægrotam pago vicino
“ videndam, quæ, decem diebus ante, auxilio fæminæ
“ obstetricis, enixa fuerat. Occurrerat sub tempore
“ laboris hæmorrhagia copiosa; quæ nondum con-
“ fecta est, et per tres dies novissimos fœtida fuerat.
“ Acciderat etiam vomitus, et male se habere ægrota
“ sentiebat. Examine per vaginam facto, Dom. M.
“ existimavit placentæ fragmentum in utero rema-
“ nere. Per inquietationem hanc necessariam ex-
“ aminatoriam rediit hæmorrhagia immodica, cum
“ recentibus coagulis commixta, quam secutæ sunt
“ deliquium et pulsus suspensio. Sub hac morbi
“ epocha me domum redeuntem nuntius petit ut
“ subsidium reddam. Subveniens, embolium ab ad-
“ juncto insertum e vagina subduxi, quum novum

“ coagulum læve, rotundum et horrifice foetidum
“ protinus evasit. Ægrota vino, aquâ vitæ, opii
“ tinctura suppeditabatur. Per quinque dies supra
“ rediebat quandoque hæmorrhagia languore con-
“ tinuo ingravescente.”

A. D. 1831. 6to die Januarii. “ Casus hic cum
“ variationibus nullius momenti ad finem progressus
“ est, ægrota indies bilem subviridem evomitantus.
“ Desivit hæmorrhagia, sed pulsus de die in diem
“ magis languescebat, et labia pallidissima erant.
“ Haudquaquam deficiens erat urinæ quantitas.
“ Levis icterina species per breve quoddam tempus
“ in facie apparuit. Mortua est puerpera post
“ partum et mensem absolutum.

“ Ad cadaveris inspectionem videbantur phæno-
“ mena sequentia.

“ Membrana adiposa adipem permultum con-
“ tinebat bile flavum. Stomachus et intestina sanæ
“ videbantur. Hepar diaphragmati adhærens, pal-
“ lidum erat et crassum præter solitum. Nullum
“ continebat pus, sed per lympham indurabatur.
“ Vesicula fellis non solum bilem spississimam con-
“ tinebat, verum etiam calculos unum et sexaginta
“ alios grani tritici instar, alios nucis abellinæ. Unus
“ in ductu communi choledocho inveniebatur.

“ Dolorem requaquam conquesta erat ægrota.
“ Uterus sex uncias longus, in nulla parte con-
“ tractus erat. Inveniebatur fundo adhærens pla-
“ centæ fragmentum juglandis grandioris instar,
“ presse coopertum, (excepta sexta superficiei ejus
“ parte media nuda,) lymphæ coagulabilis lente-
“ scente tunica, et talis cum utero erat ejus con-
“ nexio, qualis per dissectionem solummodo solve-
“ tur. Textura fragmenti durior erat quam placentæ
“ sanæ. Uteri superficies interna tota cum liquore
“ muco-purulento fœtidissimo oblinebatur.”

Causa disruptionis in hoc exemplo incerta est. Fortassè per adhæSIONEM morbidam superficiei placentæ ad fundum uterinum disruptio effecta fuit; probabilius autem, ex imperitia feminæ obstetricis casum evenisse. Hanc causam si accipias, sequitur ut adhæSIO firmissima sub inspectione post mortem detecta disruptionis eventus foret. Et sic sentio. Mihi enim, quanquam non dubitanti, ut exempla quædam sequentia satis indicabunt, quia adhæSIO præternaturalis inter uterum et placentam, effectus, ut apparet, inflammationis uterinæ aliquando inveniatur, phænomena nuperrime descripta certo indicio sunt adhæSIONEM, qualiscunque fuerit, ad tempus parturitionis existentem postea multo firmi-

orem factam esse ; fragmento sub illa post mortem inspectione detecto speciem præbente vascularem, non solum naturalis placentæ valde dissimilem, sed etiam illius induratæ placentæ quæ per inflammationem adhærescit. Eo viso, auctoribusque aliis in rebus obstetriciis spectandis, ut posthæc ostendam, annuentibus, adhæSIONEM uterino-placentalem etiam post partum firmiorem reddi posse, mea sententia est, præternaturalem adhesionem in hoc exemplo visam non causam disruptionis, sed magis effectum conatum quorundam vis medicatricis naturæ ad exitum fatalem obviandum, fuisse.

Alter hujus casus effectus proximior, ab obstetrice vero non suspecti, erat hæmorrhagia copiosa, quæ coagulis formatis, gradatim minuebatur et septimo die foetida fiebat. Ex hac hæmorrhagia protracta et immodicâ mors demum prodiit.

Rebus sic stantibus, hoc exemplum, ni fallor, quasdam suggestiones offert, notatu non indignas, de illa quæstione supra memorata : Quid de fragmenti remanente fiat, in illis placentæ disruptæ exemplis, quibus ægrotæ convalescunt. Hujus fragmenti placentalis aspectus vascularis, vitalitatis suæ adauctæ argumentum, et portionis tam largæ ejus superficiei per membranam organicam obductio, sunt res memoratu

dignissimæ. Quænam ratio de illis reddenda sit? Estne improbable hæc prodiisse phænomena, partim e largioribus vasis sanguineis fragmenti collapsis, partim e depositione lymphæ intra et super fragmentum? Utcumque sit, pene certum est vitalitatem adauctam fragmenti, ejusque lympa coagulabili obductionem, una cum coagulis formatis aliquam vim in hæmorrhagia minuenda habuisse, quamquam non compotes erant ad prioris hæmorrhagiæ effectus obviandos. Si ita res se habet, cur dubitaremus, quin decompositione fragmenti remanentis repressa, vitalitate ejus per adhæSIONEM firmissimam servata atque aucta, et vasis ejusdem laceratis ac sanguine fluentibus per collapsum oclusis atque membrana organica quasi obsigillatis,—his omnibus peractis prius quam exhaustio sanguinea nimis progressa fuisset, — symptomata disruptionis periculosissima jam subducta fuerint? Et quid opinioni obstat ut, rebus in certis disruptionis exemplis magis faventibus, tota fragmenti superficies contra hæmorrhagiam antequam mors accesserit, fuerit cauta? Mihi quidem, septem pene abhinc annis, est ista opinio per hujus exempli phænomena suggesta; et quæ aut videre, aut legere, aut audire exinde accidit, sententiam, medelam naturalem hac aut tali

ratione possibilem fore, potius confirmare quam infirmare valuerunt.

EXEMPLUM II,

A. D. 1832 die 23mo Aprilis. “ Ad undecimam
“ horam ante meridiem arcessitus fui ut puerperam
“ viderem, fœminam circiter 30 annos natam, et
“ firmæ valetudinis, quæ bis terve prius pepererat.
“ Auxilio fœminino acciderat partus decima noctis
“ præcedentis hora. Obstetrix dixit, partem placentæ
“ adhuc remanere, atque hæmorrhagiam exilem se-
“ cutam esse. Uterus tactu durus atque rotundus,
“ umbilico tenus porrigebatur. Placentæ fragmen-
“ tum editum examinavi, quod laceratum videbatur,
“ cum exigua parte membranarum affixa. Explo-
“ ratione per vaginam facta, altera placentæ pars
“ fundo uteri adhærens inveniebatur. Hanc levi
“ indicis pressura ad juncturæ lineam separavi,
“ manum leniter et facile per os dilatabile uteri
“ inserens, et sine ulla difficultate detraxi. Puerpera
“ non multo post convaluit.”

Hoc exemplum nihil offert speciali observatione dignum. Separatio fragmenti remanentis facile manu effecta, haudquaquam notioni favet placen-

tam per adhæSIONEM disruptam fuisse, quam ordinariæ uteri contractiones solvere non poterent. Causa probabilior est obstetricis imperitia.

Proximum placentæ disruptæ exemplum quod mihi videre contigit, intra tria hebdomada accidit post hoc modo descriptum;—*i. e.* die 12mo Maii. A.D. 1832; sed quum sub altero puerperio ejusdem foeminæ casus iterum intervenit, convenientiæ causa alium antepono quod paulo tardius eodem anno evenit.

EXEMPLUM III.

A. D. 1832. *die 25mo Novembris.* “ Paupercula,
 “ duo et triginta annos nata, duabus accubati-
 “ onibus gravem hæmorrhagiam passa erat, et bis
 “ inventa erat placenta ori uterino affixa. Cursu
 “ recentioris gestationis rediit hæmorrhagia, quæ
 “ tamen sub parturitione, quum foemina auxilia-
 “ batur, non magni momenti erat. Paucis vero
 “ abhinc diebus iterum atque iterum effluxit san-
 “ guinis haud exigua quantitas, et abdomen tactui
 “ externo molle ac sine ullo tumore, velut uteri
 “ contracti, erat. Die duodecimo post partum pes-

“ sime se habere et pene in ultimis esse videbatur
 “ puerpera, cui vox deficiebat, cuique pulsus rapi-
 “ dus febrilisque, atque cutis callidissima erat.
 “ Lintea fluore nigro, qui tamen haud multus erat,
 “ tingebantur. Febriles affectus magisquam exsan-
 “ guineos patiebatur fœmina. Remanebat alvus
 “ sine ullo tumore et adeo mollis, ut ægre augu-
 “ rarer, placentæ partem in utero remanere. Con-
 “ ditio autem flaccida abdominis occasu alio (conf.
 “ Exempl. I.) causa idonea erat, cur diligentius ex-
 “ plorarem, quod facile feci, per os uterinum
 “ molle, dilatabile, ac pene duas uncias apertum.
 “ Placentæ massa se presentabat, me nihil ejusmodi
 “ suspicante. Manum intra vaginam inserens, in-
 “ dicem usque ad locum adhæsionis porrexi, et sine
 “ mora aut difficultate massam separavi. Hæmor-
 “ rhagia copiosa supervenit. Ad finem semihoræ
 “ ægrotam reliqui symptomatibus secundioribus.
 “ Vino et aqua vitæ suppeditata erat.”

“ Phlegmasia dolens secuta est, qua patiens
 “ longam post ægritudinem mortua est.”

Quod causa disruptionis in hoc exemplo refert,
 eodem modo ut supra sub exemplo secundo explicari
 potest. Casum ex imperitia obstetricis accidisse pro-
 babilius arbitror, quum ambobus in exemplis eadem

fœmina obstetricis munere fungeretur. Notanda est similitudo inter hoc et primum exemplum respecta uteri mollitie; aliorum valde dissimilia erant, quamvis ambo lethalia. Hic symptomata ad tempus periculosissima febrilia erant, effectus haud dubius placenta decompositæ; ad postremum mors a phlegmasia dolente inferrebat. Hoc symptoma tum apparuit, quum hæmorrhagia uterina jam foetida facta erat; quod aliis auctoribus et medicis practicis fuit observatum. *

EXEMPLUM IV.

A. D. 1832, die 14mo mensis Maii. “ Ingenui
 “ loci fœmina quæ quatuordecim diebus ante, ter-
 “ tium pepererat, mente subito concitata, hæmor-
 “ rhagiam uterinam extemplo passa est. Hanc illico
 “ arbitratus sume præcedente perturbatione exor-
 “ tam, talem effectum priori occasione me vidisse
 “ recordans.† Per biduum jam protracta est

* Conf. Cel. INGLEBY opus cui titulus: *A Practical Treatise on Uterine Hæmorrhage, &c.* cap. xxi. p. 220, ubi dicitur. “ It is worthy
 “ of notice, that the painful swelling of the leg appeared in these
 “ cases of placental disruption, when the discharge became very
 “ offensive.”

† De hæmorrhagia, e subita mentis perturbatione orta, liceat quod sequitur ex adversariis meis medicis superioris anni (1826) descri-

“ hæmorrhagia, atque etiam aucta, quamvis sine
 “ ullo fœtore. Debilis est, fœmina cum utero duro
 “ atque tumido.

Die 15mo ejusdem mensis. “ Per noctem
 “ postremam frequenter rediit hæmorrhagia, et bis
 “ ab aurora evaserunt coagula pluria. Fluxus non
 “ putidus erat. Uterus heri vespere durissimus, gran-
 “ disque instar capitis fœtus ordinarii, mollior erat
 “ hodie et minoris ambitus. Ægrotam jam debilissima
 “ erat, et explorationem per vaginam necessariam
 “ esse judicavi. Apud os uterinum, quod apertum
 “ erat cum labiis rotundis atque duris, imprimis
 “ reperta est massa placentæ, quam facile submovi.
 “ Postea inveni prope fundum fragmentum aliud
 “ quod firme adhærebat. Hoc quoque deglubendo
 “ separare tentavi, ungue sub margine inserto, sed
 “ tam firma erat adhæsio, tam mobilis uterus, et
 “ tam debilis fœmina, ut post plures cautos conatus
 “ absistendum esse decrevi; revera existimans
 “ melius esse et tutius ægrotam naturæ remediis

bere. “ Fœminæ quæ decem diebus ante partum ederat, et cui
 “ fluxus lochialis non multus fuerat, bene progrediebatur casus.
 “ Tunc temporis ad undecimam fere horam post meridiem, concla-
 “ mante quoquam sub fenestra, maxime perterrita fuit, et copiosa
 “ hæmorrhagia protinus evenit. Quæ ratio hujus susceptibilitatis
 “ vascularis reddenda est?”

“ commendare, quam conatibus reiteratis et pro-
 “ tractis exiguam vim remanentem penitus exhau-
 “ rere. Interea nullus effluxerat sanguis; sed
 “ aluminis solutionem bis injeceram, quæ semel in
 “ uterum, semel tantum in vaginam penetraverat.
 “ Hinc exorta erat contractio uterina vehementior,
 “ quæ digitorum ad fragmentum placentale acces-
 “ sionem multo difficiliorem reddidit.

Eodem anno die 25mo Novembris. “ Puerpera,
 “ quæ brevi tempore penitus convaluit, infantem
 “ adhuc lactat, et lunare tributum nondum per-
 “ solvit. Fragmentum placentale nullo modo
 “ evasit.”

EXEMPLUM V.

A. D. 1833, die 25mo Septembris. “ Eadem
 “ fœmina rursus parturivit, labore naturali. Post
 “ natum infantem manum introduxi, et caute ac
 “ mansuete placentam removi, maxime expectans
 “ dum per ipsam uteri contractionem separatio
 “ naturalis effecta fuerit. Vi quam minima usus
 “ fui. Massa secundinarum separata, digitum ante
 “ detractationem ejus fundo tenus porrexi, ad
 “ tumorem aliquem tractandum, qui forte placentæ

“ in priore partu disruptæ reliquum foret. Frag-
 “ mentum imprimis inveni quod certe præsentis
 “ accubationis erat, et facile separabatur; deinde
 “ inæqualitatem notabilem superficiei uterinæ, hanc
 “ vero prædicare non auderem ex placenta relicta
 “ esse exortem. Placenta præsentis gestationis,
 “ explorationi subjecta, in diversis ejus partibus
 “ imparissimæ duritiei inveniebatur.”

Ex his conjunctis exemplis liceat sequentes suggestus obferre.

1. Verisimile mihi videtur placentam, in ambobus exemplis, per ejus adhæSIONem tenacem ad parietes et fundum uteri disruptam fuisse. Exemplo postremo, ut jam dixi, in diversis placentæ partibus structura ejus quoad duritiem valde diversa apparuit, et si hæc durities, ut celeberrimi medici consentiunt,* membranæ novæ tenacissimæ inter

* Inter alios de hac re disserentes, illustr. BLUNDELL sic loquitur.
 “ Sometimes, however, the womb inflames; and in consequence of
 “ this inflammation the placenta may become attached to its sur-
 “ face, and if this have been going on in the earlier or middle part
 “ of gestation, the adhesion may be extensive and strong. These
 “ adhesions may be accompanied with induration of the placenta, in
 “ consequence, I suppose, of an interstitial deposition of lymph in
 “ the pores of the placental structure.” Vide “ *The Principles and*
 “ *Practice of Obstetricy, as at present taught by JAMES BLUN-*

placentam et uterum interpositæ effectus sit morbosus, sequitur necessario, ut partes istæ placentales diversæ, cum tenacitate ad hanc duritie diversitatem proportionata, adhævisent. AdhæSIONEM aliquando tenacissimam esse ex exemplo quarto satis liquet *. Quod ad exemplum quartum pertinet, retentione fragmenti reperta, tentavi omnia recolligere, quæ in placenta removenda occurrerant, sed nequaquam recordari potui minimam vim in ea operatione adhibitam fuisse, et ante detectionem ea retentio mihi prorsus inopinata fuit. In exemplo quinto jam supra dixi me vi quam minima usum

“ DELL, M.D. *and Professor of Obstetricy at Guy's Hospital; with*
 “ *Notes and Illustrations by* THOMAS CASTLE, M.D. F.L.S. &c.
 “ Sect. L. pl. ‘*Retention from scirrhus adhesions.*’” Conf. etiam de
 hac re quod ex disceptationibus cell. INGLEBY atque RAMSBOTHAM
 altera hujus dissertationis parte proferre curabo.

* Ne res supervacanea habeatur quod aliud exemplum hujus adhæSIONIS tenacissimæ in propria praxi visum ex meis ephemeridibus medicis addere lubet. A.D. 1825, die 21mo Martii. “ Post partum
 “ infantem, successerunt dolores acutissimæ, sed nulla secundinarum
 “ expulsio. Ore uterino se occludente, per funem leniter pertraxi,
 “ sed cum nullo eventu, tunc manum introduxi. Maxima difficultas
 “ in separatione efficienda experta fuit; tam firma erat in quibusdam
 “ partibus adhæSIO, videbatur ac si quædam tenacissima vincula
 “ formata fuissent, non sine summa vi et assiduitate dissolvenda.
 “ Hæc apud placentæ marginem firmissima inveniebantur, sed ad
 “ postremum separationem effeci, partibus minus agglutinatis prius
 “ levatis, tenacioribus postea intrinsecus invasivis.”

esse, et persuasum habeo, placentam in ambobus exemplis sponte disruptam fuisse; parte majori laxiori secundinarum ab altera minori indurata atque adhærente parte per ipsas contractiones uterinas, abrupta.

2. Si vero solida sit hæc opinio, disruptionem, certis induratæ placentæ atque adhæSIONIS tenacissimæ exemplis, per ipsam contractionem uteri naturalem et sine ulla vi extrinsecus adhibita, aut etiam ulla actione uterina irregulari spasmodica, sponte effici posse, res est quæ, quamvis a nullo medico auctore, ut recordari fas est, explicite recognita, gravis tamen et multis nominibus non negligenda esse habeatur. Ex tali nempe causa disruptio sine ulla suspitione ex parte obstetricis accidere potest, et si placenta expulsa examinationi perspicaci non subjecta fuerit, ex adhærente fragmento hæmorrhagia et aliorum malorum lethalium series penitus ex improvise erumpere possunt. Ita in quarto descripto exemplo usque ad diem decimum septimam post partum incomperta remanserat disruptio. Revera suspicor, hoc frequentius accidere quam generaliter credatur, et non pauca fortasse exemplorum illorum quibus puerperæ mors typho adscribitur, potius irritationis fatalis e decompositione placentali ortæ exempla

fore. Magna utilitas atque etiam necessitas arctæ secundinarum expulsarum inspectionis, non ex hac mea sententia solum inferenda, sed ex ipso exemplo obvia est.

3. In eodem exemplo cum primo, secundo ac tertio comparato, variationes magni momenti quoad externum uteri tactum notandæ sunt. Ex his satis liquet, quam incerta disruptionis symptomata omnia exteriora phænomena sint, et rem difficillimam esse si non impossibilem, inspectione accurata placentæ expulsæ neglecta, factum disruptionis, sine exploratione per vaginam certum facere.

4. Contractio uterina vehemens quæ ab aluminis solutione injecta effecta fuit, ad quæstionem pertinet: quousque in praxi obstetricia limati iudicii sit, retenta placenta, quæ adhæSIONIS tenacioris videatur, quam quæ sit ex natura et sponte dissolvenda, per rerum astringentium injectionem contractiones provocare, per quas digitorum introductio, separatioque factitia impediri possint.

5. In eodem quarto exemplo, convaluit brevi spatio puerpera, quamvis fragmentum non parvum in utero remanserat, quod postea nullo modo evasit. Convalescentia feminæ talem explorationem qualis ad totam medelæ rationem demon-

strandam necessaria foret, fauste intercept; eadem-
que causa ex hoc exemplo certa de fato placentæ
retentæ indicia proferre nefas erit. Estne autem
aliquid impossibile aut etiam improbabile, inequali-
tatem superficialem uteri sub occasu posterioris
accubationis detectam, ipsius fragmenti secundum
conjecturam sub exemplo primo offertam vivificati
atque obsignati reliquum fore?

PARS ALTERA.

QUA SENTENTIÆ QUORUNDAM AUCTORUM MEDICORUM
DE PLACENTA DISRUPTA ANIMADVERTUNTUR.

Descriptis præcedentibus exemplis atque in loco illustratis, observantissime rogo, ut quasdam observationes specialiores, ad quæstionem de fato placentæ remanentis supra memoratam pertinentes, addere permissio detur. Salvis talium eruditorum illustriumque virorum debitis honoribus atque æstimatione, certe spero, per descriptas ac recensitas quasdam sententias ab auctoribus medico-obstetriciis spectatissimis latas, meliorem quæstionis disceptationem constituere, mihi integrum fore.

In pervulgatis scriptis medico-obstetriciis cel. DENMAN, et in prælectionibus publicis cell. BLUNDELL atque RAMSBOTHAM quæstio quasi obiter affertur, respectu ad eorum magis ad praxin pertinentem scopum, habito. Eadem ex causa, opiniones eorum quadam notabili dubitatione exprimuntur. Cel. DENMAN, exempli gratia, sine ullo argumento allato, de placentæ parte ‘marcita’ aut ‘digesta’

loquitur* ; cel. BLUNDELL, de parte “ fortasse sub
 “ putredine decrescente, aut sub tali absorptionis
 “ specie tabescente, qualis post partum, apophyades
 “ intra uteros ruminantium formatas removet † ;” et
 cel. F. A. RAMSBOTHAM, fil. dicit, “ partes placentæ
 “ remanentes in quibusdam rarioribus exemplis for-
 “ mationum hydatidarum nucleum fieri, aut in ra-
 “ rissimis, ut credit, revera absorpta esse.” ‡

* Vide ejus “ Introduction to the Practice of Midwifery,” cap. xiv. Sect. 5. ubi dicit : “ it has been found, when a portion of the placenta
 “ was left behind, that an existing hæmorrhage has ceased, and not
 “ returned ; and that this portion far sooner *decayed*, and was more
 “ readily *digested* or expelled than the whole.”

† “ Hujus verba sunt. “ The scirrhus portion of the placenta is
 “ said to have separated spontaneously in some cases, after the prac-
 “ titioner had failed. More generally, however, if the patient recover,
 “ this diseased part *wastes, sometimes perhaps wearing away under*
 “ *putrefaction, and in other cases wasting under a sort of absorp-*
 “ *tion similar to that which after delivery removes the secreting ex-*
 “ *crescences which are formed upon the uterus of the ruminating ani-*
 “ *mals.*” Vide “ Principles and Practice of Obstetrics,” &c. Part IV. Sect. 50, p. 629.

‡ “ At other times again, but *very rarely*, the remaining portions
 “ of placenta become the *nucleus* for *hydatidinous formations* ; and
 “ *more rarely still, I believe, they are actually absorbed.*” Vide ejus
 “ Lectures on the Theory and Practice of Midwifery, delivered at
 “ the London Hospital,” Præl. xlvii., “ London Medical Gazette,”
 tom. xiv. pag. 770. Confer etiam quod paulo ante præcedente
 prælectione ab eodem dicitur. “ On examining the placenta,
 “ also, after its removal, if a large proportion be wanting, I think
 “ it better to attempt to remove it immediately, under the em-
 “ ployment of the utmost tenderness, than to leave it to be expelled

Fieri non potest, quin horum dictorum obscuritas et indecisio planissimæ sint; neque argumentorum quorumlibet absentiam, aut gravium aut vanorum, excepta analogia a cel. BLUNDELL allata, prætermittere fas est. Sed non hæc solum, verum etiam quæstionis ipsius momentum per dictum aliud candidum BLUNDELLIANUM, in opera supra citato illustrantur, ubi dicit: "why it is in some cases that
 " the [retained] placenta putrifies rapidly, while in
 " others it remains unchanged, I am not able in a
 " satisfactory manner to explain, though the sub-
 " ject is well worth investigation." *Principles, &c.*
 ad Part IV. Sect. xlix. sub titulo '*fætid discharge.*'

Anno salutis, 1828, aut fortasse 1829, tractatus ingeniosissimus de exemplis quibusdam disruptæ placentæ ab ipso visis, ab illustr. F. C. Nägele, Medicinæ Doctore, ac apud Heidelbergenses Professore Medico-obstetricio, ad cel. L. V. de Froriep, Medicinæ doctorem, atque libri cui titulus, "*Notizen aus dem Gebiete der Natur und Heilkunde,*" editorem, ad publicandum mittebatur. Ex hoc tractatu excerpta quædam anglice versa in opere dicto, "*The*

" to putrify, to become, perhaps, the nucleus for hydatid formations,
 " or to the chance of its absorption." Lond. Med. Gaz. tom. xiv.
 p. 744.

